



Comitatus Hollandiae novissima descriptio

Kaart van Holland, Marcus Zuerius Boxhorn, 1632

<https://hdl.handle.net/1874/20429>

MARCI BOXHORN-ZVERII

MARE

Vulgo

GERMANICVM

De Noord Zee.



COMITATUS
HOLLANDIAE
novissima descriptio
Designatore
Balth. Flor. a Berckenr.

Cum Privilegio Illust. Ord.
General. unitarum Belgii
Provinc. in sexcentum.

Milliaria Germanica communia

Amstelodami.
Sumptibus Henrici Hondii.

fol. 8

Hol-35

CAPVT II.

Hollandiæ descriptio. Magnitudo ejus, longitudo, & latitudo. Urbes majores & minores. earum ordo & dignitas. cur quædam ad Hollandiæ Ordinum Comitatus non admittantur. Opes earum & Privilegia quædam generalia. Flumina. Municipia. Pagi. Insule. Arces. Ædes magnificæ. Vetus & nova Hollandiæ facies. Flardinga, Rensburgum, Geerulietum, Beverwicum & Verona, quæ jam intercidit, olim inter præcipuas urbes numeratæ. Mutationem causæ.

BELGICA, quæ & Germania inferior, vulgò *Nederlant* in decem atque septem præcipuas partes findi consuevit: quarum Ducatus quatuor; *Brabantia*, *Limburgum*, *Luxiburgum*, & *Gelria*: septem Comitatus; *Flandria*, *Artesia*, *Hannonia*, *Hollandia*, *Zelandia*, *Namurcum*, *Zutphania*. *Marchionatus S. Imperij*. Domina quinque; *Frisia*, *Machlinia*, *Trajectum*, *Transselana ditto*, & *Groeninga*. quibus Ducatus *Clivensis* ac *Iuliacensis*, Archiepiscopatus *Cameracensis*, cum *Leodienfi* Provincia, vulgò adjungi solent. De quibus omnibus non est hic agendi aut scribendi locus. Hollandia tribus è partibus tangitur Oceano, ita nominibus, ut locis differente. Britannico quidem ab Occidente, Cimbrico à Septentrione, Flevo autem, vulgò de *Zuyder Zee* / ab Oriente. Ipsa in meridiem porrecta Mosam flumen & Brabantiam habet, ad austrum Trajectensem ditionem & Gelriæ partem proxime contingit. Magnitudine facile crediderim ab alijs superari; siquidem modicis terminis continetur: Quamquam hic nullæ, ut alibi terrarum, vastæ solitudines. Ipsa Regio passim exulta.

Pro multitudine autem hominum, & pro gloriæ amplitudine angusti nimis fines. In circuitu enim leucas seu miliaria tantum numerat sexaginta. Longitudo ejus inde ab insula *Schellinga*, ad Septentrionem posita, longo rectoque fere tractu, juxta littus maritimum, usque ad *Schaldiam*, non ignobilem Zelandiæ insulam, expanditur. Latitudo est arctissima. quæ, ubi maxima creditur, in septem tantum aut octo miliaria dicitur abire. In ipso autem Hollandiæ meditullio, iter carpenti, trium horarum spatium, hinc ad Oceanum, illinc denuo ad extremos illius fines patere aditum ferunt. Ex quo apparet, Hollandiam faciem & formam litui hoc suo situ referre. Est autem lituus, ut docent Grammatici, tubæ species, differtque à tuba, quod ille equitum sit & aduncus seu incurvus, hæc peditum & directum. Urbes sunt opum & populi frequentia clarissimæ; *Dordrechtum*, *Harlemum*, *Delfm*, *Leida*, *Amstelodamum*, *Gouda*, *Rotterdamum*, *Gorichemum*, *Schiedamum*, *Schoonhorvia*, *Briela*, *Gertrudisberga*, *Heusda*, *Worichemum*, *Viana*, *Woerda*, *Oudewatera*, *Iselsteinum*, *Astera*, *Hueclonum*, *Leerdamum*, *Naerda*, *Wesopum*, *Muda*, *Almeria*, *Horna*, *Enchusa*, *Edamum*, *Medenblicum*, *Monachodamum*,